
EPISTOLA PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

SURRENTINAE DIOECESEOS.





NEAPOLI,

Typis Josephi Severino.

1825.





GABRIEL PAPA

U. J. D.

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA METROPOLITANAE ECCLESIAE

SURRENTINAE ARCHIEPISCOPUS,

PRAELATUS DOMESTICUS, SOLIOQUE PONTIFICIO ASSISTENS

Venerabilibus fratribus, ac dilectis in Christo filiis, dignitatibus, Canonicis, Clero, Claustralibus, Nobilibus Viris, Populo Civitatis, et suae Dioecesis.

Cum ad limina Divi Petri rationem reddituri muneris nostri Romae proximo mense Decembri essemus, non sine animi motu accepimus, *Clementissimum Regem nostrum* Nos, qui Ecclesiae Neocastrensi praeeramus pro Archiepiscopatu Surrentino commendasse. Hoc nuncio inopinato perculsi, praesertim quod nil tale cogitabamus, illico arcessivimus ad Romanum Pontificem Caput, et fudamentum omnium Ecclesiarum, et totius disciplinae Moderatorem, orantes, ne pro sua erga nos benevolentia sineret, nos Ecclesiae nostrae dare libellum divortii, et ad secunda vota transire, aliamque sedem regendam suscipere. Verum cum Ille, qua pollet pietate, et prudentia in gubernandis Christifidelibus nobis significaverint, non hominis, sed hanc esse Dei voluntatem ore *Regis Optimi* pronunciatam, putavimus esse

obtemperandum, et lubentes aures Divinae Ordinationi praebuimus.

En ergo, Fratres Dilectissimi, qua ratione, nullis nostris meritis ad Archiepiscopatum Surrentinum venimus. Nunc nostra refert, ut quae sit erga vos animi sententia teneatis. Attendite, Nos paucis rem expediemus. Cum nostras Encyclicas dedimus Ecclesiae Neocastrensi, (quàm Sedem de pectore nostro nulla unquam delebit oblivio) nos non praeterit pro nostro munere pastorali illam ad charitatem accendisse usi celebratissimo illo Evangelistae Joannis — *Fratres diligite alterutrum* — Nobis non erat dubium, quin Charitas radix, et fundamentum caeterarum virtutum, sola sufficeret ad omnia munia Societatis, et Religionis rite adimplenda. Qua de re illam unam singulis fere lineis animis insinuare non desivimus.

Nunc vero, Fratres Dilectissimi, cum Vobis verba facere necesse habemus, sola charitate non contenti, praedicamus etiam *Fidem* Jesu Christi Salvatoris Nostri, ea potissimum ratione moti, quia et scimus, et penitus intelligimus, *impossibile esse sine Fide placere Deo.* Quapropter posteaquam omnem felicitatem vobis adprecati sumus, auspicata salutatione Apostolica — *Pax Vobis* — en, dicimus, Vestrum Pastorem nulla manu vacuum, sed una praeferentem *Charitatem*, altera *Fidem*, et uno ore dupliciter clamantem — *Filioli diligite alterutrum: sine Fide impossibile est placere Deo.*

Initium facimus a Vobis, qui estis velut noster Senatus, et qua Pastorem decet gravitate, dicimus: — *Diligite alterutrum; impossibile est sine Fide placere Deo.* Vos, qui ut lucerna in caliginoso loco caeteris debetis praebere exempla virtutis, tenemini praecipue lege charitatis, ut sarta, tecta sint vincula Societatis. At ut qua voce, qua factis patrocinium Religionis suscipiatis, quod est e re vestra, fidei depositum tenere debetis; charitas

namque est cordis, Fides vero est mentis: et idem ille Paulus Apostolus, qui clamitat: — *Fidem sine operibus esse mortuam* — alio loco dicit: — *sit Vobis Charitas cum Fide.* — Quo circa duo sint vobis certa, et definita, unum, Religionis negotium fide, et charitate absolvi; alterum, utramque virtutem non posse a se mutuo sejungi. Diligite ergo, et tenete fidem.

Diligite alterutrum: sine Fide impossibile est placere Deo. Vos, qui Paraeciarum curam habetis, quique Ecclesiis praeestis velut Archipraesbiteri, et Rectores. Vobis praesertim officium commissum est erudiendi in sana doctrina plebem Christianam. At quaeso qua ratione hoc officio fungemini expertes *Fidei et Charitatis?* Charitatis defectus vos certe impediet quominus labores vel mediocres, vel graviores in Vinca Christi exantlandos hilari animo suscipiatis. Fidei autem defectus vos facit vaniloquos, et populorum pestem; cum sit certo certius, non credentem non posse loqui credibilia, at tantum mortalia paradoxa. *Ergo tenete Fidem, et diligite alterutrum.*

Diligite alterutrum sine Fide impossibile est placere Deo, Vos omnes vel jam Sacerdotes, vel ordinibus sive Majoribus, sive Minoribus tantum inaugurati; Vosque Claustrales utriusque sexus, et cujuscumque professionis. Vos universi, licet multimodis, sequi agnum quocumque ierit decrevistis. At Agni misterium est *Charitatis et Fidei misterium*: charitatis et auribus accipite vocem clamantem — *majorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam ponat pro fratribus suis.* — Fidei et non poteritis ire inficias, saepe praedictum fuisse illud — *veni in Mundum, ut credatis, et Fidem habeatis* — Quare si misteriorum quae ostentatis vultis esse participes *Fide* et *Charitate* debetis abundare, ne in re tam gravi nugas agere videamini. Ergo tenete fidem, et diligite alterutrum.

At ne nostras litteras vel prolatione, vel repetitione redundantes fastidiatis, uno veluti verbo dicimus omnibus quotquot estis vel auctoritate praediti, vel doctrinae merito praestantes, vel majorum imaginibus, et sanguine clari, vel Conjuges, vel Celibes, *diligite alterutrum* : *sine Fide impossibile est placere Deo*. Vos non fugit Societatis cujuscumque sit privata, vel publica, sit naturalis, vel politica unicum fundamentum esse Charitatem, ita, ut sine hac nec Civitas, nec Litterarum Respublica, nec matrimonium stare queat, cum sit Solis luce clarius, homines, *Charitate* emota, hominibus esse Lupos. At cum unicuique compertum esse debeat, nullam posse coiri societatem, nisi Religione munitam, nemini potest esse dubium quin sit e re privata, vel publica, quemque depositum Fidei servare, et penitus tenere. Qualis, quaeso, esset illa Civitas, cui Fides omnis justitiae fundamentum deest? Quae esset publica, vel privata educatio, ni praesto sit Fides faciendorum, et dicendorum unica Lex, sine qua fas, nefasque discerni nequit? Filioli mei tenete ergo Fidem Jesu Christi, diligite alterutrum.

Quod remanet hoc est Fratres Dilectissimi: nos ne videamur similes illis, de quibus in Evangelio dicitur *docent et non faciunt* : enixis precibus Deum Optimum Maximum exoramus, ut velit nos duplici spiritu eodem donare, quo in regendo populo nobis commisso, possimus propositam attingere metam, et assequi finem Divinae Destinationis. Freti igitur certa fiducia, nobis non esse Deum defuturum, fidenter spondemus de animo, deque voluntate nostra, et Deum testamur, nos molituros esse omnia, quae ne nostro muneri desimus tentanda censemus. Charitatem ergo, et profecto tenerrimam praeferentes amore plusquam paterno omnes prosequimur, praesertim pauperes, parvulosque, qui magis opera nostra indigere videntur. Quod vero attinet ad Fidem

Catholicam, haec ut integerrima servetur, nostra maxime refert: quo circa plus nimio vigilantes erimus, ne vel levissimus error erumpat aut de suggestu in piis vel orationibus, vel catechesibus, aut de ore Antecessorum vel publice, vel privato docentium, aut demum de parentum, educatorumve vel inscitia, vel scelere.

Dicamus paucis: Charitas, Fratres Dilectissimi, quae, ut Paulus loquitur, non est otiosa, nec agit perperam, impediet, quominus aliquando cessemus ne dum de conservanda Fide rite, sancteque, ut Dei Ministros decet, sedne de propaganda quidem, quod maxime optamus. Faxit Deus, et vires nobis suppetant, ut animi nostri propositum ad quadrantem exequamur.

Fratres, et Filii in Domino carissimi antequam missos nos faciamus juvat aliquantulum immorari in meritis laudibus cum *Romani Pontificis*, tum Optimi nostri Principis, nec fortasse hoc officium erit supervacuum, nec male subolebit, cum sit e re Christiana publicas laudes illis impertiri, qui pietatem, fidemque enixe tuentur. Erimus perbreves, quia summorum virorum res gestae alias notissimae tantum refricandae sunt. De *Leone* ergo XII, quem Pontificem Maximum diu sospitet Deus, satis superque ducimus, si dixerimus, eum esse tali sanctitate, humanitate, prudentiaque praeditum, ut jure merito gratiae habendae sint Deo, qui regendae Ecclesiae his difficillimis temporibus illum praecipue praefecerit hominem Apostolicae prorsus innocentiae, et fortitudinis. — De Rege vero Ferdinando I. quis poterit digna eloqui? Quisve erit tanti, ut omnimodas ejus virtutes merita laude prosequatur? Ast cum mors, (eheu nimis infausta!), rapuit eum terris, in luctu vere ineffabili, et penitus acerbissimo nedum Civitatis, sed totius Regni, argumenta luculentissima habemus quanti sit Ille faciendus. Verum de hac re nobis erit sermo, cum justa, quae animo devoto, et grato jam concepimus, vobiscum me-

moriae Illius persolvemus. Nunc vero nostrum est Deum exorare, ut diu servet incolumem Franciscum I filium, et haeredem totius paternae virtutis, qui tanta erga nos flagrat Charitate, tantaque est praeditus Fide, ut nos non relinquat dubios de nostra felicitate, et de ejus singulari pietate, ut decet verum Catholicum Christianum.

Haec sunt, Fratres Dilectissimi, de quibus vos esse praemonendos e re nostra duximus. Caetera cum venerimus, quod erit citissime, disponemus. Valete, et Benedictionem Pastoralem, quam vobis modo impertimur, Jesus Christus, qui est Pastor Pastorum firmet et roboret. Amen.

Datum Neapoli ex nostra Residentia — XVII. Kal. Febr. An. MDCCCXXV.